

da, sed quotannis obseruanda singulariter; recogitanda studiosissime, vt, dum diuini huius facti memoriam gratiosissima mentis testificatione renouamus, simul auctoris sapientissimi nomen, quod commune cum academia esse voluit, æternitati consecretur. Dicamus bona verba die tam felici atque auspicato; gratulemur litterarum studiis singularem hunc honorem, hoc beneficium, quo maius in terris dari, quod eruditior in terris Princeps dare non poterat: & rei tam prouidenter susceptæ, tam prospere peractæ, iucundissima cogitatione immoremur. Enimuero celebrauerunt ante me alii academiam Iuliæ dedicationem, opus immortale, & diem eius natalem celebrauerunt omnes maiori facundia, ingenio cultiore, elegantia verborum singulari, nunquam ille gratior, nunquam ille feliciori harum terrarum statu, quam hoc anno, illuxit, vt id habeam præcipui, quo gloriari possim, quod, felicissimo rerum nostrarum cursu, festiuitas hodierna a me sit peragenda, rebus alibi vel dubiis, vel perturbatis. Florent hæc prouinciæ, & tranquilla in iis ac pacata omnia, floret academia, & quam studiosorum ciuium numero, tam honesti elegantissimique moris cultu se ostentare potest, nulla hic doctrinæ melioris pars conticescit, qui excolendi ingenii gratia hanc modestiæ & humanitatis palæstram adeunt, in ipso virentis æui flore constituti,

tuti, mentem ad doctrinam, animum ad virtutem, linguam ad eloquendum præclare fingunt atque efformant; nec desinunt benignissimi nostri Nutritores, qua fieri potest ratione meliori, academiam huius commoda atque ornamenta procurare. Meritam gratiam debitamque ecclesiæ & reipublicæ seminarii huius conditori IULIO mente persoluamus, nec minorem debemus benignis eius amplificatoribus HENRICO IULIO & FRIDERICO VLRICO, filio ac nepoti. Quo ultimo rebus humanis, citra prolem, præmature erepto, quum agnati & successores celsissimi ceteras prouincias auitas inter se diuiderent & partirentur, ea asserenda academiam pulcherrima fuit contentio, vt illam vindicare seorsim singuli cuperent, & nimine alteri cedente, vno iure sibi addicerent vniuersi. Vt nunc tota domus Brunsvico-Lunenburgica academiam Iuliam sinu suo foueat atque complectatur, & ingruentibus alibi truculentis belli tempestatibus, pacem & quietem, pietatis & studiorum pacis sedi huic præstet, non minori gratisimi deuotissimi-que animi cultu eapropter a nobis suspicienda, quo maior virtus est, quæ laudabiliter sunt suscepta, integra conseruare, & ab iniuria temporum defendere ac tueri. Hodiernus igitur quintus decimus octobris dies, quod felix sit prosperumque, nostri nos humillimi officii admonet, lucu-

lento quodam, si fieri posset, demississimæ mentis pignore, & ampliore adparatu a nobis celebrandus. Ego vero, qui quemuis alium, quam memet ipsum, audire malim, quod ad dicendum prodierim in publicum, nulla fecit studiorum meorum confidentia, nulla meritorum meorum suffragatio, quibus ad gratiam via sternitur, sed ut vestræ, Patres academix conscripti, quorum nomine & auctoritate publica loquor, faciam satis humanissimæ voluntati. Atque utinam mihi nunc digna vobis, qui has mihi partes imposuistis, digna artium dicendi professoris onerosa appellatione, quæ eloquentiam a me exigere videtur, digna die hoc academix natali, oratio contingat. Sed quum aliud esse sciatis, ornate atque copiose dicere, hoc est, oratorem agere, aliud tradere dicendi præcepta, spero vos & ceteros omnes, qui ad audiendum confluxerunt, absque fastidio operam mihi duros esse. Dicendi argumentum non reconditum erit, aut e longinquo accersitum, sed planum, nulli non notum, temporis tamen aptum præsentis, & nisi quid me fallit, a celebratione diei academix natalitii non alienum. Procul ambitiosis verborum ornamentis, simplici & infucato orationis genere, quale veritatis esse consuevit, Quæ læta & fortunata serenissimæ domui Brunsvico-Luneburgicæ hoc anno contige-

tigerunt, summatim enarrabo. Cliens eius & alumna est academia Iulia, vnde in partem publici gaudii merito venit, & quæ munificentissimis suis Nutritoribus, quorum beneficio liberaliter sustentatur, felicia diuinitus accidunt, eorum celebrationem ad se quoque pertinere, haud vane arbitratur. Qui ad finem decurrit, annum hunc augustæ domui Brunsvicensi ac Luneburgensi lætum felicemque illuxisse, dum demonstrare, pro tenui parte mea, conor, in memoriam redeunt superioris anni tristitia & infausta, imprimis, ut alia reticeam, mors præmatura maximæ Borussia Reginx SOPHIAE CAROLINAE, e Guelfico sanguine oriundæ, cuius gloriam immortalem virtutibus partam orbis cultior æternum admirabitur, atque Principis humana laudatione maioris, GEORGII VVILHELMI, Nutritii nostri, & heu nuper Directoris magnificentissimi obitus, præuisus ille quamlibet, tristis tamen & luctuosus, qui tanto maior, quanto melior, neminem viuendo, omnes moriendo perturbavit. Serena cæli tempestas gratior acceptiorque esse solet, si imbres, nimbos, procellas, turbines antea sensimus: & quæ prospera ac læta contingunt, lætiora plerumque videntur, si quæ infelicitas præcessit, quum, nescio quid habeat delectationis, ad usum secundorum per aduersa venire. Fausta illa ac felicia, quæ diuinis au-

C

spi-

spiciis, anno hoc, accepit potentissima domus Brunsvico-Luneburgica, tanta sunt, & tam ampla, ut elapsi temporis tristitiam molliant & relaxent, ut, quamuis maxima hæc sint beneficia cælestia, post rerum tamen illatabilium sensum, maiora nunc videantur. Ipse primus anni secundissimi mensis incredibili omnes voluptate perfudit, & felicissimam temporum reparationem, tot annorum spatio frustra expectatam, tot hominum votis ardentissime expetitam, attulit, plaudente cælo, tripudiante Germania, solis indignantibus publicæ quietis hostibus. Quid intelligam, haud difficulter patet, factum illud diuinum & immortale, reconciliationem domus serenissimæ, dissociatæ aliquamdiu, nunc, æterno amoris & duraturo concordiæ vinculo iterum coniunctæ. Decimus septimus Ianuarii dies, princeps ille, huius æui, dierum, hos populis amores, hæc sæculo decora, has cælo delicias apportauit. Si nihil læti aut felicitatis accepisset amplius, præsentis anno, domus augusta, vel vnum hoc sufficeret, quum tale sit, quod verbis amplificare, aut digne satis euehere nemo potest, etiamsi amplissime eloquentissimeque id prosequatur: & quidquid dixerò de illo, minus erit. Quum viuere desiissent Principes beatissimi RVDOLPHVS AVGVSTVS & GEORGIVS VVILHELMVS, tam sancto negotio tam impense intenti, spes hæc omnis concidisse videba-

debat. In id incumbabant enixe, ut, antequam cælo redderentur, rem illam confectam, pristinaque animorum conspirationem, in familia sua reducem, cernerent, & horum vterque ad redintegrandam amicitiam veterem omnium aptissimus credebatur, quum, prole mascula destituti, in quamuis partem liberi & soluti essent. Immortuus est vterque occupationi tam salutari: nec licuit illis esse tam felicibus, ut confectio rei ancipitis & difficultatibus plenæ potuerint lætari. Nondum appropinquauerat beatius illud tempus, illuxerat nondum dies tam prosper & fortunatus, quæ virtute & consilio coepta erant, exitu destituebantur secundo: arcana Dei prouidentia, quæ ubi rem magnam molitur, insperato interuenit, posteaquam alia omnia homines cogitationibus suis præsumserunt. E vita migrabant gloriosissimi & concordiæ restituendæ studiosissimi Principes, re infecta: & quam illi gauderent, post fata sua, si quidem vlla ad eos rerum humanarum notitia deferri posset, negotium hoc tam optatos habuisse exitus, quos, quum e mortali hoc contubernio, ad consuetudinem cælestium & veram vitam abirent, optare magis poterant, quam sperare, & rediisse in gratiam hætenus diuisam, dissensione omni sublata. Reservata erat hæc felicitas GEORGIO LVDOVICO & ANTONIO VLRICO, principibus

optimis, Patribus patriæ piis, iustis, felicibus: debebatur isti operi, quo nullum præstabilius, aut pulchrius cæleste & sanctum numen præstare poterat, hæc veneratio, ut non nisi illo contingeret tempore, quo laudatissimi nostri Duces auitis terris soli imperarent. Tantis Principibus nihil dignum erat, nisi quod difficile, nisi quod ab aliis omnibus desperatum, & quum hic Fratrem, ille Patrum, utrumque negotio huic pio studiose intentum, amisisset, fiunt, fieri quæ posse vix quisquam antea existimasset. Habet hanc vicissitudinem mortalium conditio, ut læta ex tristibus, prosperitas ex fortuna adflicta nascantur sæpe: & si placata ac secunda fuissent omnia, incredibili lætitiæ voluptate, qua nunc perfundimur, caruissemus. Utinam possem, Auditores, copiose ornateque satis ostendere, magnum id esse, quod ipsi utique maximum iudicatis. Conciliata nunc cuncta sunt modis æquisimis, & quum putaretur, in dies, in annos spem minui, lux hæc beata appropinquat. Regentes hodie serenissimi nostri Principes, maiori quodam numine excitati, in hanc rem serio feruntur, & Deo felicem magnis cogitationibus successum adspirante, altissimæ mentis vi atque magnitudine animi, difficultates, quæ nostram, quæ patriæ communis spem remorabantur, gloriosissime superant atque solvunt.

Candi-

Candidissimus ille, lætissimusque dierum, ANTONIO in fastis sacer, mitissimi Ducis, cuius nomen aulpicato refert, & agnati Principis disidentes animos conglutinat, nullo vnquam tempore in posterum disiungendos. Beneficii tam singularis patriæ præstiti memoria non ævi termino claudetur; & quoties sera Ducum nostrorum & concordissima posteritas huius temporis recordabitur, simul auctores tanti operis, amoris ac concordie vinculo nunc inter se colligatos, gloriæ commendabit sempiternæ. Quamlibet enim laudanda plurima fecerint coniunctissimi patriæ Patres, nec facere desinant; nihil tamen pro præsentis Germaniæ statu gloriosius, nihil ad futuri temporis spem felicius, aut lætius ab ipsis fieri poterat, quam quod sub exordium anni labentis factum esse scimus atque miramur. Neque vero id solum considerandum, quam grandia fecerint Principes nostri, sed & quam subito, præter opinionem hominum atque expectationem, defunctis illis, quos pacis conciliatores fore omnes arbitrabamur, ut ad summam hanc felicitatem gloria quoque celeritatis accedat. Totum igitur hoc, si a Deo discesserimus, quantumcunque est, quod certe maximum, Principum nostrorum est, & illorum esse nunquam desinet. Omnia adsunt in opere hoc vere diuino, ut nec addi quidquam possit, nisi negotii laudatissime confecti decus im-

D mortale.

tio domus serenissimæ, frustra antehac ab aliis tentata, congratulatio de Electorali fastigio Principum hætenus alienatorum, introductio in Collegium Electorale Sacræ Cælaræ Maiestatis iussu & auctoritate, consentientibus imperii Statibus, mox peragenda, vt alia sileam, suo loco postea a me percensenda. Hæc singula felicitatem gignere poterant eximiam, vniuersa absolutam omni numero reddunt, & consummatam. Qui vitam gloriose & magnifice actam morte beatissima finiuit ERNESTVS AVGVSTVS, primus familiæ suæ Elector, hæc gentis suæ decora promeruit equidem, sed non vidit, quæ, si primum excipias, hoc ipso demum anno Filio successori diuinitus facta. Saluti Ille intentus publicæ quieta cum industria obtinuit, quod desideratissimus Parens obtinere nullo modo poterat, licet spe votisque omnibus præsumeret, arcano diuinæ prouidentia consilio, quæ, quum inceptorem tanti operis Patrem esse vellet, Filium, ætate inferiorem Patre non meritis, vult esse perfectorem. Ast alia insuper felicitatum, rerumque lætissimarum incrementa benignissimo huic patriæ Patri, & per Eum toti celsissimæ domui Brunsvico-Luneburgicæ cedente hoc anno fuerunt indulta. Nihil enim sibi, aut suis lætum, & salutare arbitratur serenissimus Elector, quod non expe-

expediat publico, quod non gloriosum simul sit familiæ suæ vniuersæ. De iure ciuitatis Anglicæ, serenissimæ matri SOPHIAE a magnæ Britannia Regina Ordinibusque, felicibus auspiciis collaro, & Iunio mense per legatum primi ordinis, intimumque consiliarium Baronem de HALIFAX, perlatis ad aulam Electoralem Hannoueranam Senatus Anglici actis, sollenniter significato loquor. Nouum hoc ipso decus nacta est excelsissima Brunsvicensis ac Luneburgensis domus, inter felicitatis eius, hoc anno impetratas, non immerito collocanda. Non autem existimandum, si absque charactere hoc foret, vel Princeps serenissima, vel posterius eius ad Regiam in Anglia dignitatem, ipsis aditum haud patere: regnare possunt, etiamsi illo sint destituti, & acerrimus libertatis vindex, VVILHELMVS III Rex, imperauit, iure hoc ciuitatis Anglicæ nunquam insignitus. Ex illo tamen in serenissimam SOPHIAM, eiusque sobolem omnem commoda maxima proficiscuntur; & talia, quibus careret, quamdiu ANNA Regina est in viuis: quamdiu illa superest augusta Princeps SOPHIA, eiusque liberi, ad dignitatem in Anglia nullam peruenire, emolumentum nullum adipisci, nec locum inter Principes sanguinis occupare vllum potuissent, nisi ciuitate Anglica essent donati. Si forte iuissent in Angliam, tanquam Principes peregrini,

E non

non aliter fuissent habiti. Nunc vero, quoties libuerit istuc abire, considerantur ceu Principes sanguinis, ceu successores regni. Serenissimus Princeps Electoralis GEORGIUS AVGVSTVS, sensit iam tum commoda & ornamenta, e tributo hoc iure resultantia, quum ANNA Regina Ducem Cantabrigiæ illum creauit, vt, si nunc in Angliam veniat, in curia superiore, siue in superioris domus Ordinum confessu locum habeat: reliquos Duces omnes vbique præcedat, proxime collocandus post Regiæ Maritum, serenissimum Daniæ Principem GEORGIUM, cui & ipsi, quum natione Anglus non sit, ius ciuitatis Anglicæ, ante annos aliquot conferri debuit, sine quo nec in superiori domo, ceu Par regni suffragium dare: nec dignitate aut emolumento vllis frui; nec supremus exercitus maritimi præfectus esse potest, licet Regiæ ipsi matrimonio sit iunctus. Et quamuis hoc ciuitatis ius aliis quoque tributum, collatio tamen eius serenissimæ SOPHIAE facta, gloriosior longe est longeque splendidior, quum ad liberos, nepotes, & qui ab his nascentur se extendat, quod singulare prorsus est, & exemplo caret. Nam per magnæ Britanniaë leges, si cui extraneo ius ciuicum tribuitur, ad posteros eius extra Angliam natos, id non transit, sed cum illo expirat. In solo casu præsentis res aliter sese habet, & tam serenissima SOPHIA,

PHIA, quam eius liberi, nepotes, nati aut nascendi, pronepotes, abnepotes, & posteri omnes, sexus vtriusque, in infinitum (modo Protestantium religioni sint, maneatque addicti) extra Angliam quamuis orti, aut oriundi, vno hoc, collati huius iuris diplomate, inaudito antea exemplo, ius Anglicæ ciuitatis sunt consecuti, vt nemo horum, hac de causa peculiari in posterum diplomate indigeat: sed omnes & singuli coniunctim, simul nunc per serenissimam SOPHIAM ius hoc indepti, redditique idonei, vt ciuilia, & militaria officia, in magnæ Britanniaë regnis possint obire: in comitiis ordinum, suo loco comparere, Principum sanguinis prærogatiua frui, quæ omnia ante diploma hoc ab Angliæ Ordinibus collatum, cessauissent. Mater patriæ, Mater populorum incomparabilis & eminentissima SOPHIA, Electrix vidua Brunsvicensis & Luneburgensis, Britannicorum regnorum hæres, Senatus vtriusque sententiis declarata, & per eam omnis eius soboles singulare hoc illustramentum accepit, splendore eius in totam Guelforum familiam, foecundam illam Heroum genitricem, redundante. Angliæ successionis decretum a gloriosissimo Rege VVILHELMO III, & Senatu Anglicano magnifico apparatu splendidoque, ante annos aliquot sapientissimæ huic Principi mittebatur, quippe quæ,

E 2 cum

cum prole sua, Regis Procerumque Angliæ consensu vnanimi, iure sanguinis & legis, regnis Britannicis erat destinata. Carebat tamen hucusque Angliæ Principum indigenarum iure, licet stirpe regia esset generata; neptis enim est IACOBI Regis, qui primus, faustis auspiciis, tria regna Britannica, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ coniunxit, qui primus regnorum coniunctorum Rex fuit; collatum hoc ipsi nunc & ciuitate ILLA est donata. Regnorum gloria, terrarum sidus, sæculorum admiratio, ANNA, magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regina augusta atque triumphatrix, consanguineam hanc suam & amatam carissimam, atque regnatricem eius familiam, illustrissimo hoc fulgore, hoc Angliæ ciuitatis iure luculentissimo, consentientibus Ordinibus, exornauit. Nihil enim illa cedit immortalis Regi memoriæ, affini suo, amore, & sollicitudine pro augenda Guelforum profapiæ gloria, stabilitateque. Amat familiam, quæ pro sua in maximam Reginam pietate quam tardissime illi cupit succedere, quæ magis gaudet, quod promereatur regnare, quam quod regnet: quæ ANNAE victrici, inter principes feminas Regiæ, inter Reginas augustæ, inter augustas optimæ, vitam longam & gloriosam, seramque immortalitatem comprecatur. Quo splendidius illustriusque munus hoc suum redderet, legatio-

gationem ea propter peculiarem atque extra ordinem decreuit potentissima Regina. Dumque collatæ ciuitatis Anglicanæ diploma serenissimæ SOPHIAE perferri curat, mittit simul Nepoti eius GEORGIO AVGVSTO, Electoratus hæredi, in spem regnorum Britannicorum nato altoque Principi, singulare regii amoris ac studii pignus, ordinis Periscelidis insignia. Est hic ordo orbe toto cultiore celebris, ante plura sæcula ab EDVARDO III, Angliæ Rege institutus, qui, vt militarem virtutem præmiis & splendore decoraret, nobilissimam conscripsit Equitum Auratorum societatem, quos ob Periscelidem, datam illam prælii, quod contra Gallos feliciter cesserat, tesseram, Garterii seu Periscelidis Equites nominauit: & cui ordini tot Imperatores, Reges, Principes, nominibus adorata, sunt adscripti, atque adscribi, singulari sibi honori duxerunt. In societatem tam præcellam, quæ viginti sex Equitum numero constat, a nullo Regum augendo, quamlibet, si locus quidam in ea vacet, moram sibi indulgere possit, donec nouum Equitem adsciscat, & si nullus sit Valliæ Princeps (quem titulum filii Regum Angliæ natu maximi gerunt, a prima quidem natiuitate sua, vt tamen peculiaribus ritibus ad eam dignitatem eligantur) locus vnus illi vacuus relinquitur, quem occupet, si nascatur, ab eius præsi-

F

de

de Regina receptus nunc est spei eminentissimæ Princeps Electoralis, fausto omine & augurio regni suo tempore capeffendi. Atque æquum videbatur, vt ipse reciperet in flore ætatis ornamenta illa, quæ Rex aliquando aliis est collaturus, ita vt si conuentus ordinis agatur, quintum **GEORGIUS AVGVSTVS** locum hodie occupet, quum primum habeat Regina, Rex Borussia alterum, tertium Reginae Maritus, quartum Principis Electoralis Pater augustus, quem excipit, dignus Patre, dignus Avus Filius celsissimus, Equites ceteros præcedens. Qui enim in hunc recipitur ordinem, si Princeps sit, reliquos Equites omnes, qui non sunt Principes, illico præit, primoque incedit loco. Viuat igitur **ANNA** Regina, quæ decora hæc indulfit Guelficæ genti, illa libertatis vindex, illa præmiorum distributrix, gentis amor Britannicæ, amor nostræ, orbis amor, imperii Germanici fulcrum, foederatorum Principum fiducia, hostium fuga & terror. Viuat & imperet, & necessitudinis vinculo arctissimo ipsi iunctæ Brunsvico-Luneburgicæ domui semper faueat. Rerum publice gestarum gloria, paucis illis beatissimi imperii sui annis, Reges omnes antecessores suos longo post se interuallo **ILLA** relinquit: & Angliam sub Reginis non felicem modo, sed felicissimam esse, aliis super alia operibus, ad immortalitatem duraturis demonstrat. Subiecto-
rum

rum suorum felicitati domi consulens, a tot aliis Regibus incassum tentatum, de Angliæ & Scotiæ conjunctione negotium eo feliciter perduxit, rem bene gerentibus iis, quibus curatio eius, atque administratio data, vt, si quod speramus, vtriusque regni ordinum adprobatio accesserit, duo hæc regna in vnum coalescant, magnæ Britannicæ regnum postea dicendum, vnus vtriusque gentis comitiis **VVestmonasterii** habendis constans, ita vt Scotia ad superius concilium viginti ex proceribus suis mittat, & ad inferiorem curiam siue domum, quæ hodie quingentos & tredecim Senatores habet, post factam regnorum conjunctionem quingentos quinquaginta tres habeat, quadraginta alios. Dum hæc domi peragit providentissima Regina, foris arma circumfert victricia, communem causam meliorem strenue adiutat, pro **CAROLO III** Hispaniarum & Indiarum Rege legitimo, auita regna, iure successionis transfereute Patre, concedente Fratere, ipsi diuinitus oblata, repetituro, piissima bella feliciter gerit. Quæ vel hoc nondum circumactò anno fortiter gesta sunt, & quibus Anglorum nationem, viuadam illam, acrem, actuosam, **ANNAE** Reginae auspiciis & fortuna suffultam, cum gloria interfuisse scimus, tanta sunt & tam ampla, vt fortitudinem in pugnando, in vincendo celeritatem,
F 2 ora-

orationis copia & facultate adsequi nullus possit. Barcino, primaria Cataloniæ vrbs, terra marique a Gallis pressa, coarctata, obsidione liberatur. Eodem huius anni die, quo deliquium patiebatur sol, oculus mundi: Galliarum Rex, fulgentissimus ille sol, nec pluribus impar orbibus, per suorum adulationes adsentationesque dictus creditusque, singularem splendoris sui obscurationem est passus. Brabantia, Flandria hosti ereptæ: Ostenda olim post trium annorum semestri cum spatio obsessionem, ab Hispanis capta, nunc triduo recuperata: Bruxellæ, Louanium, ac Teneremunda, nunquam antehac expugnata, illibata superba virginitate: Monena, munitarum vrbiū specimen, hostium fiducia: Athum, vrbes aliæ occupatæ, Gallorum & Hispanorum copiæ, prope Rameliam ingenti strage profligatæ, & victoria Hochstadiensi haud dissimilis reportata, sub Duce MARLBVRGIO, victore Gallorum perpetuo, ob mirifica in Germaniam merita, Imperii Principibus adscripto, & iure suffragii in comitiis decorato. Si Deus porro fauet causæ meliori, speramus perfere vt felicissima Regina cum Sociis præpotentibus, Christianissimo Regi, bello quæsita, bello adimat, pristinis limitibus regni Gallici fines includat: pacis serius ocyus accipiendæ felicem necessitatem hosti imponat, vt virtutem Anglo-
rum

rum, laudare sospes ac amicus, quam diutius experiri victus malit. In primis posteaquam Augusta Taurinorum, quæ grauissima obsidione cincta erat, nunc est liberata, Gallis cruenta clade a VICTORE AMADEO Sabaudiæ Duce, & Principe EVGENIO, deuictis, tot millibus captiuis factis, MARSINIO ipso, omnibus imperatoriis laudibus ornatisimo viro, ex vulnere lethali occumbente. Sed quo me abripiunt facta immortalia Reginæ inclitæ, felicis, augustæ, ampliora sunt, quam optata hominum esse poterant; & digna ILLA est, cuius maiestatem comiter venerentur ii quoque, quorum apud ceteros omnes venerabilis est maiestas. Ad felicitates excelsæ domus Brunsvico-Luneburgicæ, hoc, quem agimus, anno obtentas redeo, quas sicut insigniter auxit Regina victrix & benefica, misso, quod dicere occupavi, de tributo Anglicanæ ciuitatis iure, diplomate, ita eodem illo mense, paucis post diebus: nouum sidus gloriosæ huic domui est exortum, felicitas noua & plane singularis, augustæ ac manenti domus regnatricis fortunæ accessit. Magni Electoris nostri Filia, sicut vnica, ita in sexu suo verè vnica & incomparabilis, ita vnice hoc est vehemētissime a Patre dilectæ, cælesti consilio nutuque desponsata est regni Borussiae atque Brandenburgici Electoratus hæredi, in perpetuum vtramque inter
G domum

domum amicitiae stabilimentum. Par iungitur augustum, quorum alteri nil gratius dare Deus; alterum nil gratius accipere potuisset, FRIDERICVS VVILHELMVS, & SOPHIA DOROTHEA, adscripta caelo nomina. Filius vnicus Regis Patris sui, & Filia vnica Patris Electoris, auspiciousimum matrimonium inituri, sponsalia celebrant, inter sinceram patriae acclamationes, ac inter vota subiectorum, & studia sollicitissima publicam augent hilaritatem. Quo minus hac de re quidquam antea innotuerat, eo vehementius laetamur, vt solent, quae inexpectata sunt, laetiora quaeuis, mentem magis adficere, atque recreare. Veniebat in Electoralem aulam Hannoueranam sapientissimus Borufforum Rex FRIDERICVS, cum Filio suo, Principe Regio, Cliuiam, vt fama ferebat, aditurus, salutaturusque in transitu Affinem dilectissimum. Sed longe aliam & potiore itineris causam fuisse, laetissimus postea euentus comprobauit. Prouidi Regis, optimi Patris animus alia & altiora cogitans, Filio vnico, quem tantus Pater genuit, quem tantus Princeps formauit, & ad summas quasque virtutes, paternis pares, instruit, Sponsam quaeerebat, vt bene auspicato Filii coniugio, regni sui beatitati, aeternitatisque consuleret. Ex qua sibi ipse Coniugem olim elegerat praecelsa domo, Filio quoque Coniugem est electurus; quae primam dede-

dederat Borufforum Reginam, domus magna, Regni Borussici haeredi, futuroque Regi det alteram, vt iunctum Brandenburgicum cum Luneburgico genus, tot heroum sanguis, gloriae suae perpetuitatem in multa sobole omnibus aetatibus transmitteret. Nuptiarum conciliator ipse Pater maximus erat, vt splendidius omnia fierent, magnificentiusque, ambit incomparabilem SOPHIAM DOROTHEAM, Principum virginum splendorem, Filio in matrimonium collocandam. Illa ingenio pudore perfusa, verecundiae sexus sui esse arbitratur, paterno hic stare arbitrio. Consentit Pater, annuit Filia, Rex per augustus voti sui sit compos: Princeps regius se matrimonio cum illa coniunctum iri videt, quam tenerrime semper, sed clam haecenus amauerat, quam in Coniugem se aliquando expetiturum esse, sibi dudum, sed alte dissimulatis animi sensibus, proposuerat, Brandenburgensis atque Brunsvicensis domus gloriam & felicitatem auctam esse atque prouectam videmus laetamurque. Peraguntur sponsaliorum sollemnia Hannouerae pompa maxima, Sponsus & Sponsa, par serenissimum, more antiquo annulos permittant, aeterni amoris tesseras: exploduntur tormenta, illae fulminis imitatrices machinae, & iucundo illarum innoxioque fragore exultantis, in publicis acclamationibus, laetitiae signa dantur. Gratulatur

sibi Elector de tali Genero, Rex de Nuru tali, quæ solamen esse poterit ademptæ Vxoris, de sempiterna vtriusque domus coniunctione non desitura amicitia fidem sibi dant mutuo, in seris nepotibus perennaturam. Non potuisset Rex augustus regno suo melius prospicere: laus magna erat, quod, post tot alia, pace & bello parta decora, Brandenburgensem domum, plaudente orbe, primus regia dignitate, more insolito & a priscis ætati- bus ignorato, cumulauerit, beaueritque. Sed maior laus, quod, amplificata domo, regni a se conditi splendorem æternum, cum admiratione generis humani, feliciter promouerit, matrimonio Filii tam exoptato. Utinam diem hunc vidisset, beatissimæ memoriæ Regina Borussorum **SOPHIA CAROLINA**, sæculi, sexus sui, & Reginarum incomparabile decus, quam Illa gaude- ret felicitate hac temporum publica; quam Illa, si qua post excessum beatis animabus mortalium cura esse potest, nunc quoque gaudet, Filio suo, e domo fraterna, tam tenere a se amata, tanta cum voluptate sæpius a se frequentata, coniugem deli- gi, Fratris Filiam, cuius ea oris dignitas, ille frontis honos, illa vultus verecunda amœnitas, vt ipso adspectu magnum prodat animum, regiarum vir- tutum domicilium fulgentissimum. Nec poterat serenissimus Elector felicitatem domus suæ exqui- sitius

1
sitius augere, quam dum Filiam vnicam, tantas suas delicias, tantas spes, prouida cæli indulgentia, despondet Principi regio Borussorum, qui nil nisi quod summum, nisi quod regium, & Regis dignum filio est, pollicetur; ita aliquando imperaturus, quemadmodum Patrem videt & Socerum, id est optime & felicissime. Nuptiarum splendidissimarum sollennia celebrabuntur propediem Hannoueræ magnifico paratu; ac desponsabitur Illa sacris cære- moniis, per absentiam Sponsi augusti, Fratri se- renissimo **GEORGIO AVGVSTO** Electoratus hæredi, deducenda breui post tempore Berolinum pompa exquisitissima, vt in amplexus ruat Sponsi dulcissimi, vt amet, vt possideat amorem orbis **FRIDERICVM VVILHELMVM**, vt liberos Marito, vt nepotes Socero & Patri progignat. Nos qui ab aularum cultu & elegantia, non loci saltem, sed vitæ sortisque interuallo seiungimur, quod v- num possumus, demississima gratulatione, & subie- ctissima reuerentia nouam hanc præcellæ domus Brunsvicensis ac Luneburgensis felicitatem prose- quemur. Viuat Regiorum Amantium par pul- cherrimum, amabile illud cæli depositum, magnum beatioris sæculi incrementum **FRIDERICVS VVILHELMVS & SOPHIA DOROTHEA**, cælo demissus Brandenburgensis ac Guelficus san- guis. Impleat beatissima fœcunditate spem subiecto- rum,

rum, spem publicam, ut sera ingeniorum monumenta gloriam illorum celebrent, atque vltimis tandem sæculis transmittant, ut Reges Borussiae nullos, nisi ex illis natos agnoscat posteritas. Sit imperio, sit prouinciis his prospera & salutaris noua hæc Brandenburgensis & Brunsvicensis coniunctio, immotoque ac valido stabilitatis firmamento consistat. Ita dixi hucusque, Auditores, de gloriosæ domus Brunsvicensis ac Luneburgensis felicitatibus, hoc, quem nondum absoluimus, anno, diuinitus concessis, sed dixi tenuius quam par est, & longissimo infrarum magnitudinem interuallo. Digne omnia persequi, & parem factis orationem adferre, æquatis cum rei magnitudine cogitationibus, hæc feliciorum ingeniorum cura; hic labor erit annalium: mihi summa vestigia procul ostendisse sufficiat. Atque vtinam noua, quæ excelsissimæ huic domui imminet prosperitas ocyus se exserat, ut serenissima Principis Electoralis Coniux **VVILHELMINA CAROLINA**, post tot vota piorum suspensa, desideratissimo partu noua generi humano otia, nouam gloriosæ domui beatitatem propediem pariat, sobolem pulcherrimam, spei nostræ obsidem, salutis publicæ pignus, gaudium terrarum. Hæc adpropinquat felicitas, & cumulum felicitatibus ceteris addet. Forte etiam iis, qui restant huius anni mensibus, nouis rerum fortunatissimarum incrementis, diuina
boni-

bonitas augustam domum ornabit: nos certe votis ardentissimis, atque subiectione mentis omni id exoptamus. Et vel ex publicis præsentis anni in bello contra Galliarum Regem **LVDOVICVM XIII.**, & Nepotem eius **PHILIPPVM**, felicitatibus, quas carptim supra tetigi, partem sibi vindicare potest domus serenissima Brunsvicensis ac Luneburgensis. Secundissimo enim ad Rameliam prælio, Deo duce, comite fortitudine, ipso feriarum Pentecostalium primo die, commisso, eius quoque legiones non sine gloria interfuerunt, **MARLEBURGIVM**, imperatorem, futuræ ætatis exemplar, miraculum nostræ, & ductum eius secutæ alacriter. Victoria hæc, sed cruenta, non sine sanguine Brunsvico-Luneburgicæ domus militum & militiæ præfectorum, parta fuit; victoria hæc non cruenta minus fuit, quam gloriosa, in fugam coniectis lectissimis Gallorum & Hispanorum copiis, sub signis Bauaricis & **VILLAREGII**, aulicæ artes cum bellicis egregie perdocti Ducis, acerrime pugnantibus: sex millibus militibus trucidatis; sex millibus captiuis factis, quos inter & **TALLARDI** filius, & primæ dignitatis ducum militiæ pluri, opima spolia, locupletissimæ vrbes receptæ, integræ recuperatæ prouinciæ, magnitudinem testantur victoriæ. Et quæ nuper in Pedemontio, cælesti beneficio contigit victoria omni numero
H 2 ro

ro absoluta, Hochstadiensi par, si non maior, quam **VICTOR AMADEVS**, Sabaudia Dux fortissimus, obsessa per trimestre spatium, vrbi suae primariae Augustae Taurinorum, de cuius tuitione actum prope videbatur, suppeditatus, & Princeps **EVGENIVS**, illud fulmen belli, & tremendum Gallis nomen, ab hostibus, eorumque ductoribus **FEVLLIADEO** & **PHILIPPO** Duce Aurelianensi, **VENDOMIO**, in cuius locum surrogatus est, haud multo feliciore, reportarunt, Guelficae etiam domus gloriam huius anni mire auget, atque extendit. Nobilitata enim illa est fortitudine, quin sanguine, illustri sed acerba morte subrepti **HENRICI FERDINANDI**, Brunsvicensium ac Luneburgensium Ducis, qui dum legionem Guelficam praetorianam in aciem ducit, hostemque obfirmate reluctantem, inter pericula intrepidus, inter labores infractus, magno animo adgreditur in vehementissimi certaminis aestu ipso, plumbea glante confosus, vitam, quam strenue patriae deuouerat, heroum more, constanter & placidissime clausit. Turbat publica gaudia iste dolor, turbat publicam huius anni felicitatem nuntius tam inopinatus: & sicut victoria ad Hochstadium parta **AVGVSTI FERDINANDI**, Brunsvicensium & Luneburgensium Ducis, nece constitit: ita Fratrem natu
maxi-

1
maximum minimus natu Frater, in clarissima bellici theatri luce, inter illustres funesti martis victimas, mortis genere nunc sequitur. Sed non poterat Ille nobiliore fato mori: pulchrum est, & inertem anteponendum immortalitati, pro communi causa meliore, in statione sua vitam profunderet: hostes concisi sanguine suo ipsi parentant, dignas excelsis manibus inferias victa praebit Gallia, ISque vltima vitae spatia sine gloriosissimo decorans, claritudinem gentis, ex qua oriundus, vel ipsa morte adauxit. Sed sensim & ex improviso dilabor ad felicitates bellicas huius anni enarrandas, quas si oratione digna omnes signare vellem, vestra, Auditores, patientia abuterer, licet ex iis quoque gloria Guelforum non parum illustretur, & laudatione ampla, nec modestia beatissimi Principis, quem modo memoravi, nec fastigium unquam indiguit. Reuertor ad id, vnde sum digressus, annumque hunc eiusque menses elapsos, faustos fortunatosque Brunsvicensi ac Luneburgensi domui fuisse, confidenter adfirmo. Nihil restat amplius, quam vt in festiua diei academiae natalis, tam optatae lucis, celebritate, vota faciamus pro salute Germaniae patriae communis, pro caelesti conseruatione domus serenissimae Brunsvico-Luneburgensis, vtque sub illius praesidio ac
I tute-

tutela academia hæc enitescat deinceps, & ad sæcula propagetur. Cumuletur Germania perenni prosperitate: eiusque & foederatorum Principum reliquorum ope vincatur porro hostis communis, sicut hoc anno est deuictus, vt pacem ille, quamlibet perinuitus, optet. Nemo vnquam tanta ausus est sperare, quanta nuper contigerunt: difficulter hæc posterius credent, quum vix ipsimet nostris auribus oculisque fidem habeamus. Multorum annorum opus esse arbitrabitur insecutura ætas, quod paucorum mensium spatio est factum: imminebitque oratoribus ista paullo copiosius explicaturis, non ab adulatione, sed a veritate periculum. Et quamlibet anno hoc id datum sit hostibus a fortuna quaecunque solatium, vt castellum Ludouici, in ipso Rheno exstructum obsidione liberarint: expugnarint in Alsatia inferiore Hagenoam, & prope urbem Castiglionem, in Italia, nonnihil felicius sub MEDAVIO Comite cum Hasfiacis copiis nuper conflixerint: propitius tamen, ita speramus, ita confidimus, Deus semper erit rei meliori: pietatem armorum Cæsareanorum summus belli arbiter successibus adprobabit, dabitque, simul ac ipsi visum, gloriosi belli terminum, felicitatis nostræ cumulum, victricem atque triumphalem pacem, vt
pacis

1
pacis artes & studia maiora nanciscantur incrementa. Floreat vniuersa domus serenissima Brunsvico-Luneburgensis, vnita nunc arctissimo vinculo, quod nulla dies, nullum æuum dissoluat, quod Deus perpetuo foueat, prosperet, tueatur. Omni augustæ felicitatis genere sint cumulati Nutritores nostri indulgentissimi, Principes patriæ suæ quouis ciue amantiores, qui post longi temporis intercapedinem, post dilatam aliquamdiu mutui colloquii suauitatem, haud ita pridem se mutuo sunt amplexati. Numen annos vtrunque prouehat optatis successibus, menses factorum gloria distinguat, dies ex meritis cumulet. Viuat academiæ nostræ Director magnificentissimus, serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus GEORGIVS LVDOVICVS, Dux Brunsvicensis ac Luneburgensis, Sacri Romani Imperii Elector, Dominus noster clementissimus: & tam suæ, quam vniuersæ domus Brunsvico-Luneburgicæ felicitate multiiuga diu lætetur: dumque gloria Maiores suos vincit Filius solus, paternarum auitarumque laudum hæres & æmulus, cum Nepotibus suis, illum volentem, viuum etiam videntemque vincat, exsuperetque. Viuat serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus ANTONIVS VLRICVS, Dux Brunsvicensis ac Luneburgensis,

gensis, Dominus noster clementissimus; peregre nuper absens, precibus publicis ac votis Numini fuit commendatus, nunc de felicissimo ex itinere reditu, & salutari aquarum VVisbadensium usu, deuota submissione IPSI gratulamur, Deum obsecrantes ex animo, vt pristinae sanitati ex infauista prolapsione non nihil attritae, optimum hunc Principem, & adfectu non minus, quam nomine Patrem patriae reddat, quae Fratris Filio, gloriosa, sed acerba morte terris nuper erepto demta sunt vitae tempora, Patruo huic addat: & ipsius annos vel de nostris augeat. Precamur continenter, vt quem hoc ipso die, secundum fastos veteres ingressus est annum aetatis septuagesimum quartum, prosper & fortunatus, cum plurimis sublequentibus transigat: & natalem hunc suum laetus ac solpes, sapissime videat redire; vt, qui nunc est, diu sit augustae domus suae Senior, & quod hac de causa gloriose administrat Inferioris Saxoniae Circuli Con-Directoris munus splendidissimum, per annos diutissimos, & feliciter expleat, partis excelsissimae familiae suae decoribus longum fruatur: & alia plura maioraque sentiat in posterum; donec quam longissimum aevi humani spatium emensus, vitae latur & gloriae, tam suis carus, exteris desiderabilis, quam ab omni laude felix, tam

1
tam serus in caelum se conferat, illique, o Deus benignissime, suffice tunc successores, quos iam dedisti, sanguinem eius, quem aeternum praestabis. Exsplendescat illustris academia Iulia, & natalis eius, faustis sideribus de caelo reductus, candidior in annos redeat, candidiorque. Conseruet numen caeleste perpetuam animorum nostrorum, qui aetatem scientiis exornandis impendimus, coniunctionem; pro bono publico studiosissime augendo: pro honore ordinis nostri litterarii strenue adserendo, pro commodis atque ornamentis nostris inuicem sincere prouehendis. Auertat clementer quidquid vilo modo quietem, ac felicitatem almae huius ac liberalis officinae conturbare potest. Viuite Patres academiae conscripti, & litterarum hoc domicilium salui & incolumes quam diutissime exornate. Natalem hunc academiae quotannis recurrentem celebretis sapius laetissimo rerum vestrarum successu: vt saeculari festo alteri, seu vt futuris saecularibus sacris intersitis, neque vobis opto, neque vosmet ipsi postulabitis, quibus post septuaginta demum annos peragendis, nemo nostrum intererit. Sed mortalitate quamuis intercepti, & ad meliorem caelestemque academiam translati, non ignorabimini tamen isti aeuo, qui tunc temporis publico docendi munere, in hoc virtu-

tum & cultioris doctrinae sacratio fungentur, vestrae fauebunt gloriae: & quem sibi olim a posteris praestari velint honorem, vobis quoque non inuiti exhibebunt: sicque vestra in rem litterariam merita victurae claritudinem laudis vobis pollicentur. Crescas, vireas, perennes, o beata, o nimium dilecta Deo Brunsvicensis ac Luneburgensis domus serenissima, cui academia haec Iulia initium, cui incrementa, cui stabilitatem suam vnice debet. Te sempiternus colat annalium honos, & gloria tua sit comes aeternitatis. Quo in voto, quum quod caelum impertire maius possit, non habeat, neque nos optare maius possimus, adquiesco.

